

*Jehovam, credideruntque in Jehovam, & in Mosem servum ejus.* Alter 2. Chronic. 20: 20. *Consistens Josaphat dixit: Audite me Judæi, & Habitatores Jerusalem, firme credite in Jehovam Deum vestrum, & confirmabimini: firmè credite in Prophetas ejus, & prosperabimini.* Aliter quidem verterunt jam jam laudati Theologi, nempe *credebant in Jehovam, & Mosi servo ejus: nec non credite in Jehovam Deum vestrum, & credite Prophetis ejus:* Attamen in Commentariò, quem primo loco apposuerunt, ubi etiam secundum allegant, (par enim est utriusque ratio) expressis confitentur verbis, *eundem quidem esse in Hebræò loquendi modum, sed differentiam desumi ex naturâ rei.* Unde facile judicatu est, quàm egregiè suò munere functi sunt viri illi, qui sensum Scripturæ non inferri, sed ex eâ hauriri debere, semper clamitant & scriptitant.

13. Obscuritas orationis oritur vel ex vocabulorum ejus trajectione, vel omissione. *Trajectio* ista fit, quando naturalis illorum ordo perturbatur. Hæc à Quintilianò cit. loc. *Mistura verborum* dicitur, ejusque exemplum adfertur hic Virgilii versus, lib. 1. *Æneid.*

*Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras.*

Cujus naturalis ordo est, *Quæ saxa in fluctibus mediis Itali vocant aras.* *Omissio* est, quando quædam orationi necessaria verba subtrahuntur, ut in illò Virgilii, lib. 1. *Æneid.*

*Quos ego... Sed motos præstat componere fluctus.*

& istò Lucan. lib. 2. *Pharsal.*

*Tantòne novorum*

*Proventu scelerum quærunt, uter imperet Urbi?*

*Vix tanti fuerat civilia bella moveri,*

*Ut neuter.*

Nec tantum in ligatâ sed etiam solutâ oratione reperitur hæc vocum præteritio, ut in illò Plinianò lib. 18. cap. 7. *In Transpadanâ Italiâ scio vicenas quinque libras farris modios pendere, circa Clusium & senas.* Pro *vicenas & senas.* Nec non in illò Lucæ in Euangel. cap. 13. vers. 9. *Κάν μὲν ποιήσῃ καρπὸν. εἰ δὲ μή, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψῃς αὐτήν.* Erasmus vertit. *Et siquidem fecerit fructum: sin minus, in posterum succides eam.* Beza in suâ versione sic supplet; *Et siquidem tulerit fructum, dimittes; sin minus, &c.* Simile est hoc Pauli 2. Corinth. cap. 5. vers. 13. *Εἴτε γὰρ ἐξέσθμεν, θεῷ ἢ τε σαρκὶ ὄνομα, ὑμῖν.* Hoc est; *sive enim insanimus, Deo; sive sani sumus, vobis.* Quod Erasmus & Beza geminatione vocum *insanimus, & sani sumus* supplêrunt. Hujus generis in Scripturis quamplurima obvia sunt.

14. Integræ Periodi obscuritas multis oritur de causis. Prima est *Brevitas* secundum illud Horatii in arte.